Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36552
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

non solum non recusat· sed etiam ualde desiderat· profitetur et hoc iure imperatori competere· ut nemo sine inuestitura presulatum ecclesiasticum et terrenas res ecclesie habere preualeat· Cum itaque imperator illi qui hoc ei iuste competere dicit prerogatiuam presulatus concedit· isti uero qui ei contradicit episcopatum non habere permittit· non nisi aperte patet ideo illum honoratum· quia tante nequicie fauens iniusticiam laudare presumit· Numquid et si non dedit nummum pecunie· nummum fauoris non dedisse ullo modo probari potest· An peius est dare pecuniam que a deo creata est· quam dare nequiciam que a diabolo inuenta est· Manifeste igitur patet et hos uere symoniacos esse· et gratiam sancti spiritus ad eos nullo modo pertinere· Nam qui putat gratiam sancti spiritus symoniacis dari· quam grauiter erret ex uerbis sanctorum patrum cognoscere potest· quorum alii eos non episcopos· alii uero leprosos· alii quid peius quam arrianos esse diffiniunt·

Quia grauiter sacrilegium sit auferre ecclesie que ei donata sunt.

QUANTA nequicia sit non solum sanctuarium dei in hereditate possidere desiderare· quod eum uelle manifestum est qui sine sua inuestitura presules ecclesiarum que secularium sunt habere contradicit· quodque a propheta etiam maledictione multatur· sed etiam ea que deo et eius sanctuario oblata sunt aliquo modo auferre aut alienare· ostendit sanctus Urbanus apostolicus martyr inquiens· Res ecclesie a nemine sunt inuadende· ne sacrilegii reatum in